

Reginam tantam decerent, cui offerebantur. Quae autem haec sint pretiosa munera, facile intelliget, qui Hispanorum, maxime Australium, in Deiparae gloria, originali praesertim, celebranda religionem cognoverit. Caeus sit, qui non viderit, Hispanos ex utroque Orbe, Templis, donariis, Panegyricis acclamationibus, tum privatim, tum publice in Mariana gloria cultum profusissimos; ut spiritualem Ecclesiarum gazam interim omittam sacrificia, vota, expiationes, homologeses, eximiamque vitae puritatem, quibus Christiani ad Deiparae gloriam sanctius repetendam certatim excoluntur. De quibus iterum dicam.

Quanam illa?

Deipara vultus expositus omnium Gentium votis.

1525 *Vultum tuum deprecabuntur.* Grata in universum foeminae assentatiuncula ex forma ejus petita: neque a decoro in Mariae Reginae laudibus aliena blanditio, quas ipsa ad sponsi caelestis gloriam relatas velit. Igitur, ut praeter superiora, hoc etiam titulo Vates Virgini pulcherrimae blandiatur, addit formae etiam opinionem. Nam, ut ait ille in Arte lib. 1.

Delectant etiam castas praeconia formae, Virginitus curae est, grataque forma sua.

Decorem Reginae, Regi optatissimum, superiorum versu laudaverat, quem late expendimus supra a n. 778. Nunc Sponsa ejusdem vultum omnium etiam Gentium votis expetendum, canit; tam eximia scilicet pulchritudine insignem, ut nobiliores quaeque Nationes, ditissimis muneribus, ejus adfectum promereri, certatim essent ambiturae. Et certe, si *munus est videre principem*, ut bene cenet Cassiodorus lib. 10. Varia. Epist. 13. quidni magnis impetrare muneribus studeant Mortales omnes, ut talem Reginae vultum adspiciant, qui oculos animosque omnium in sui admirationem, venerationem, obsequium pelliceant? Igitur opulentissimae Gentes munera quaeque sua tunc consultissime profuderint, cum tantae Reginae talem sibi vultum spectandum commoverint. Si vero *vultum Deiparae*, Biblico more, quo *vultus Dei* vel *facies hominis* sumitur pro Deo, pro homine, 3. Reg. 13. 6. Job. 11. 19. Zacha. 7. 2. & saepe alias; nostram non submovet, sed promovet expositionem. Quod enim nobilissimae Nationes vultum Deiparae, hoc est, ipsam Deiparam supplices deprecantur, nihil prohibet, quominus id sint facturae tam mirabili affectu virginei vultus pulchritudine & corporea & spirituali, naturali & supernaturali, ab originali obedientia proveniente, de qua Vates agebat, ut in superioribus ostendimus.

Vultus pro persona.

1526 *Omnes divites plebis*, Tyrensis nempe, ut Augustino, & Cassiodoro placet; quasi *divites plebis*, cognomen sit *filiarum Tyri* opulentissimarum. Si filiae Tyri sumantur synecdochice, ut dicebamus, pro locupletissimis quibusque Gentibus, Deiparae gloriae studiosis; eo illustrior in hac expositione caelestis Reginae fuerit gloria, quo plures, nobilesque Nationes sacrorum munere, largitione, ejusdem vultum deprecari ambitiose certaverint. Juvatque hunc sensum Arabici Psalterii lectio illa: *Divites universae terrae*. Si vero (ut nos arbitramur) *filiarum Tyri* nomine Tyrenses Colonias intellexit Psalter, maxime Hispanas; merito eas hac divitiarum nota commendavit: *Omnes divites plebis*; sive, ut Psalterium habet Aethyopicum, *divites terrae*, antonomastice; & ut Tigurina, *opulentiores populi*; & ut Genebrardus, *ditissimi populorum*. De

quibus liceat Hispano Interpreti paulo uberius disserere, & atque ex hac, aliisque notis, hujusce prophetiae gloriam Hispanis nostris vindicare.

SECTIO XXV.

Stabilitur adhuc, & illustratur nostra Interpretatio de Hispanorum religione in Deiparam pure conceptam singulari.

1527 *S*Tatuimus supra abunde satis in Praenotationibus, nobilissimas Tyriorum Colonias in Australi Hispania, Baetica praesertim, agnoscendas. Has item *filiis Tyri* appellari a Regio Vate, indubie existimamus, uti etiam Hispanienses dici *divites plebis*, sive *ditissimos populorum*, ut in priori hujus tractatus sectione effecimus. Favent huic existimationi docti illi Interpretes supra relati, qui autumant filias Tyri in eo Davidico Versu esse Colonias Tyrias Mariana jam olim gloriae studiosissimas, inter quas Australem ferè Hispaniam enumerant. Sed praesepit hanc tueri commentationem noster *Petrus de Ogeda*, eximius Sacrarum Litterarum Interpres, vir Religione, atque omnigena eruditione conspicuus, in Allegatione Theologica, quam Hispanicè evulgavit pro immaculata Deiparae Conceptione, c. 11. §. 1. & 2.

1528 Petes tamen, quibusnam argumentis perducti exponamus, illas filias Tyri, seu Tyrias Colonias esse signatim Hispanienses? Nonne, ut supra dicebamus, aliae sunt Coloniae Tyro deductae, vel Graecae, vel Africanae? Cur singulatim de Hispaniensibus praedicti a Davide, existimemus? Certè quingue potissimum argumentis in hanc mentem inducemur. Primum petimus ab aetate, qua Hispanica Tyri filia, utpote primogenita, reliquis antecellit, Davidica antonomasia dignior. Secundum a generis praestantiori nobilitate. Tertium ab illustriori sapientiae gloria. Quartum ab insigniori religione in Deiparam, qua Hispanienses Tyri filiae exteras qualque longè superant. Quintum ab immensis opibus in ejusdem Deiparae gloriam colendam, promovendamque largissimè a nostris Tyri filiabus profusis. De primo, secundo, & tertio argumento plura diximus a n. 1589. de quarto, & quinto hic dicendum: si illud unum ante omnia status; de unica nempe Tyri filia insigniori vaticinium esse in eo Psalmo. Quia quod *Vulgatus* Interpres, seu, quod idem in Psalms est, LXX. Interpretes, *filiis Tyri*, interpretati sunt, latentem in Hebraico exemplari tropum explicare voluerunt. Hebraicè enim singularem Tyri filiam designavit Vates: *Et filia Tyri*, Interpretes vero LXX. unam illam praedictam filiam Tyri intelligentes, quae etiam multiplex esset, hoc est, plurimis constans Tyriis Colonis, pluraliter verterunt, & *filiae Tyri*. Ergo multiplicem Colonis, unicam dignitate filiam Tyri Hispaniensem caeteris seu Graecis, seu Africanis praetulit in hac causa Regius cantor. Hanc antonomastice dixit *filiam Tyri*, utpote reliquis & aetate, & dignitate, & sapientia, & religione, & opulentia majorem, atque adeo Tyri primogenitam.

Argumenta pro nostra in interpretatione.

Quibus muneribus suam in Deiparam Virginem

Pietatem Hispania consecrata est.

Hispanis muna in Deiparam.

Immaculata Mariae Conceptionis studiosissima.

מנחם

Dan. 9. 27.

Granatensis v. b. similis.

Barcinonensis quaeque civitas.

Virginem mundissimè conceptam ditissimis oblatis muneribus certatim colunt. *Et Filia Tyri muneribus vultum tuum deprecabuntur.* Ast quae porrò, inquis, tanta haec Mariana munera Tyriensis jactat Hispania, quorum merito, Davidico se vaticinio nobilitatem gloriatur? Haec nimirum, quae si Reginae caeli majestatem spectes, non inficiamur, ex illa; si ex humana tamen vel inopia, vel etiam consuetudine metiaris, majora quidem fuerint, quam aut Baetiensis, aut Africana Tyri filia proferre valeant. *Hispalis*, si Mariana velim recensuisse munera, vereor ne inurbanè facim. Incipiam tamen. Antiquum Hispalensis Ecclesiae primum Templum ab Apolo oleis temporibus *Conceptioni Deiparae fuisse consecratum*, Hispalenique munificentia intructum, multi existimant. Lucurgium tamen, quo Deiparae Virginis gloria, vel ab immuni sua Conceptione, per universas Hispanias, atque Goetas Gallias religiosè colebatur, Isidorus Hispalensis civis doctissimus condidit, vel certè jam olim conditum ad exactiorem Ecclesiae ritum conformavit. Sanè qui Davidicum hunc Versum, *Et filiae Tyri in muneribus*, &c. de numerosissimis liturgiis, seu Missarum Sacrificiis in honorè Mariana gloriae ab Hispalensibus solemnè apparatu institutis, ac religiosissimè pompè celebratis, exposuerit, haut alienè faciet. Nam vox Hebraica *Mincha*, quam hic insurpavit David, singulare *munus*, & sacrificium illud significat, quod Dani. 9. 27. pro sacrosancta Missae oblatione omnino capitur: *Et in medio Hebdomadae deficiet hostia, & sacrificium*, Hebraicè *Mincha*. Arias *munus*. Legere itaque licebit Davidicum versum ex Vulgati Interpretis doctrina in hunc modum: *Et filiae Tyri (Hispalenses) in muneribus, in sacrificiis, aut Missis vultum tuum deprecabuntur.* Quid referam religiosum ardorem, quo Hispalis, Hispalensisque omnis Conventus in Mariana Conceptionis cultum adeo vehementer proximis annis exarsit, ut totam proflus Hispaniam, atque Italiam etiam eadem incenderit pietate? Eò usque Conceptionis causam apud Regem Catholicum, Romaeumque Pontificem promovit Hispalis, ut Ecclesia Hispalensis per legatos tum Regios, tum etiam Hispalentes, Pontificias litteras impetraverit, quibus opposita sententiae silentium indicitur. Haec summatim munera Hispalensis Tyri filia Mariana angustae religiosè offerebat.

1530 *Granatense* illud nobile doctrinae Anticum (de quo supra) à prima Neronis persecutione religiosè occlusum, haud sine numine hoc tandem felici saeculo referatum, faustum caelesti Reginae plumbeorum Librorum munus offert ditissimum, quibus mundissimam ejus conceptionem ex Apostolica doctrina perspicue, ut multis visum est, (de quo nihil certum ego decerno) proficitur. Haud exiguum planè donum, si modò Romanæ placeat Sedi, sive antiquitatem gravissimi testimonii, sive fidem expendas.

Barcino & ipsa Phoenicia, Tyri filia, haud inferiora quidem secuta, cum famatissima quaque Tyriensi Colonia Marianis muneribus decertaverit. Praetermitto illa Barcinonensis urbis ergo Deiparam illustra documenta: videlicet, quod Comes unus Barcinonensis Berengarius IV. trecenta *Mariae Templi* construxerit, atque Christiano cultu am-
P. Ildeph. de Flores in Eccles.

pliter exornaverit, auctoribus Dionysio Jorba in lemmatis ad effigies Comitum Barcinonensium, & Tarapha de Regibus Hispaniae in Alphonso VIII. Omitto etiam, quod Jacobus I. Barcinonensis Comes, idemque Rex Arragonum, *bis mille Templi* in Deiparae nomen & honorem erexerit, jussisque singula doctus magnificè instruxerit; auctoribus Hieronymo Paulo in Catalogo Regum Arragonum, Hieronymo Blaca in Commentario Regum Arragonum, & Bernardino Gomezio lib. 1. de Rebus gestis Jacobi I. Ad illud devenio, quòd Barcinoni sit prouissimum in Mariae Conceptionem collatum munus, imò potius egregia munera.

1531 Principio, Apostolicam Traditionem de immuni Deiparae praeservatione apud Hispanos omnes convenitissimè re en am, festaque per annos singulos celebratae ex cultam, locuples auctor Flavius Dexter Barcinonensis civis in Chronico ad Ann. Christi 308. testatus est. Vide quantum Barcinonense Marianum munus. Eadem Tyri filia illustrem protulit *sacri Ordinis Mercenariorum numerosum factum, Deiparae pure conceptae ab ipsismet Ordinis canabulis ex instituto additum.* Nam religiosum hunc Ordinem Barcino fuisse natum, atque à Jacobo Rege & Comite Barcinonensi eo consilio institutum, ut mundissimam B. Virginis Conceptionem tum candido amictu, tum vitae candore, tum etiam litterario studio tueretur, auctor est *Antonius Benter* lib. 2. Chronici cap. 4. Haud levidense hoc etiam munus: sed pergo. *Martinus* I. Rex item Arragonum, & Comes Barcinonensis bina tulit insignia privilegia de immuni Deiparae Conceptione, utrumque Barcino expeditum; alterum anno Domini 1408. alterum sequenti anno. *Maria* Alphonso III. Arragonum Regis conjux, Henrici III. Castellani filia, Arragonici Regni, & Barcinonensis Comitatus moderatrix, tertiam pro Mariana Immunitatis religione legem edixit Barcino, anno Christi 1437. Quartam denique de ejusdem mysterii cultu Constitutionem fixit *Joannes* I. Navarrae Rex in Comitibus Barcinonensibus, anno 1451. dum eum Comitatum, & Regnum pro Alphonso fratre moderaretur. Tanta ab una Tyri filia Barcinoe in Augustam Mariae Conceptionem conferta munera, religiosum erga praeservatam caeli Reginam studium testantia. Haec summa Tyriensis hujus religionis libabam capita: pleraque interim praeteriens ejusdem pietatis argumenta: *Templa Mariae Conceptioni posita*, aras, imagines, sigilla, jurata vota, stas supplicationes, eruditas panegyres, doctas conciones, puras exhomolegeles, sacras synaxes; quibus Tyri filia Hispaniense ad Deiparae Conceptionem pro dignitate celebrandam accuratius expiatur, atque impensius excolitur.

Mercenariensis ordo.

1532 Sed verò, quoniam haec, inquis, spectant munera? *In muneribus vultum tuum deprecabuntur.* Nimirum ut pulcherrimum Mariae vultum benignum sibi, ac benevolum Tyri filia promereatur; quem quidem quantum, quantumque ditissimis muneribus haud carò emat. Quod Latinus dixit, *Vultum tuum deprecabuntur.* LXX. Graecè extulerunt, *παρασκευάζω*, hoc est, *Precibus, ac sacrificiis votum impetrare.* Significant autem litania serio atque impensè factam supplicationem,
L I unde

Litaniæ.

unde Litaniæ, id est, litania, qui usurpant, genua amplectuntur eorum, quos rogant apud Homerum Iliade X. Vide Serarium nostrum in litaneutico 1. c. 2. Juvo ex 2. lib. Machabæ. 3. 20. ubi pii Israelitarum omnes commixtim ordines cum Onia optimo Pontifice, ut pro Templi religione, deprecarentur, gregatim de domibus confluebant, &c. Universa autem protendentes manus in celum deprecabantur. Græcè, ἱεροῦ τῆν λιτανίαν, id est, faciebant litaniam. Vide etiam c. 14. 15. Est verò duplex deprecatio, vel litania, uti distinguit Serarius citatus c. 3. altera liturgica, qua precatione in Missæ sacrificio utimur; altera non liturgica ubilibet peracta. De utraque accipi potest Davidicum vaticinium. De ea, quæ fit cum sacrificiis, accepisse videtur S. Damascenus Ora. 1. de Nat. B. Virg. Hujus femine vultum divites plebis deprecantur. Et S. Andreas Jerosol. in Ser. de Annuntiatione: Benedicte tu inter feminas, cujus in conspectu ditissimi ex populo dona litant. Dum à ditissimo populo dona litari dicit, liturgica sacrificia in Mariæ honorem oblata intelligit, & liturgicas litanias, atque deprecationes exprimit Marianas. Potest item Davidicum vaticinium ad quascumque alias referri litanias, quæ ad cælestis Reginæ honorem peragi consueverunt.

Andreas Jerosol.

Publica processiones in honorem Mariam Conceptionis.

1533 Cum autem Regius Pfaltes in Hispanensem Tyri filiam vaticinio esset intentus, quidni religiosas Ecclesiæ Tyriensis Hispanicæ litanias, publica que processiones cecinerit, quibus Deiparæ purissimè conceptæ vultum enixè deprecatur suavissimum? Porro autem quæ, quales, quam frequentes, quam piæ, hoc præsertim sæculo per universam Bæticam, ac Celtiberiam, Tyri filias, sacre litanie, ac processiones in Mariæ purissimam Conceptionem fuerint institutæ, testes sunt Tempa, viæ, compita, circi omnes, in quos agminatim confluerent universos videres summatum, & infimatum ordines, Mariam sine peccato originali conceptam eadem voce, eadem pietate concinentes. Testis Hispalis, Asta, Astigis, Corduba, Granata, cæteræque Urbes nobilissimæ, quæ Deiparæ præsertim pro aris, & focis tuendæ, se etiam, emissis votis, constrinxere. De cælesti Regina litanis serio colenda videri posset nostrorum Serarii Litaneuticum 1. cap. 12. & Thomæ Saily libellus de litanis, ex quo descripsit, qui manuale Sodalitatis Beatæ Mariæ concinnavit cap. 1. & 2. Deiparæ processionum exempla Biblica idem suggerit Serarius c. 3. Vide Damascenum Ora. 2. de Dormitio. B. Virg. ubi S. Pater Arcam Dei, Mariam adumbrantem, memorat adversus Israeliticos hostes cum sacra pompa procedentem. Interim certè Michol, dum Davidem ante arcam saltantem fugillat, sterilitate plectitur. Merito, ne illius posteritas processisset, quæ procedentis Mariæ vel umbratili figuræ honorem derisit profana.

1534 Igitur pia, ac religiosa Tyri filia, oblatis liturgiis, institutis litanis, instructis sacris processibus, Reginæ cælestis conspectum supplex ambiat benignum promereri. Annuet ipsa pro summa illa Regia in suos humanitate, tam enixis votis, vultumque pulcherrimum, quo mundum beaverit universum, visendum concedet Esther benignissima. Perfarum moribus comparatum legimus,

ut ad Regium conspectum nemo absque munere admitteretur; quod licet exile foret ac tenue, humanissimè tamen à Rege Reginæ excipi consuevisse, auctores sunt Alianus l. 1. c. 1. & 12. Et Plutarchus in Artaxerxe. Nominatim Statiram, Perfarum Reginam, quod aperto curru, relictis cortinis publicè procederet, ac, præter Perficum fastum, privato cuique plebeio, atque infimati mulierculæ sui & adeundi, & salutandi copiam indulgeret; propterea ab universo Perfarum populo summo studio cultam, testis est Plutarchus in vita Artaxerxis Mnemonis. Itaque Perficæ Reginæ vultum haud carò tunc deprecaretur quispiam. Porro hanc ipsam Statiram celebrem esse nostram Estherem probabile censetur ab eruditis; nam hunc eundem Artaxerxem Statiræ conjugem, Assuerum esse, quem virum sanctæ Reginæ Esther sacra vocat Historia, auctores sunt Eusebius in Chronico anno Mundi 4797. S. Hieron. in cap. 4. Ezech. & in 7. Dan. Sulpitius lib. 1. cap. 10. & alii. En igitur Mariam Orbis Reginam, per Estherem graphicè expressam, uti docet S. Thomas in Prologo commentar. ad Epist. Canonicas, muneribus quidem nostris conciliatam quantulis, & qualibuscumque. Et tu itaque munus puri cordis adorna, non illa rejiciet tenue, nempe benignissima.

Esther Regina Mariam expræst.

Munera, crede mihi, capiunt hominesque Deoque.

Ovid. 3. de Arte.

Placatur donis Jupiter ipse datis. O te felicem si eo munere tantæ Reginæ vultum pulcherrimum deprecæris! Summa enim gloria est, post Deum, te videre, ait S. Damasc. Ora. 1. de Virg. Nativitate, virginem vultum deprecans.

1535 Quinta & postrema Davidicæ antonomasie ratio, qua Tyrios Hispanienses intelligit Pfaltes, est ingens opulencia in Mariæ gloriæ cultum profusa. Omnes divites plebis: seu opulentiores populi. Græca emphaseon sunt plena ex articulis: οἱ πλουσιοὶ τῆς γῆς, id est, divites illi populi terra illius: nempe felicissimæ, atque opulentissimæ. Proprius hic est, atque notissimus Tyriensis Hispaniæ character, nimirum dives. De quo jam à numero 1490. ubi multos, eosque gravissimos Scriptores dedimus, qui eoufque Hispanicæ Tyri filie divitias extollunt, ut si quis inter loquendum, aut scribendum, Tyri Coloniam, Regionem divitiem per antonomasiam dixisset, scripsissetve, non aliam intellexisse sit existimandus, quam nostratam, de qua tam multa fama. Dum ergo Tyrios Hispanienses David nuncupat divites populos, illos utique commendat ab ingentibus opibus in Deiparæ honorem abundè profusis. Etenim, si vera sunt, ut sunt certè non improbabilia, quæ eo loco dicebamus de Tyri Hispaniensis opibus, quas Salomon instructis classibus exquisivit, quibusque Jerosolymitanum Dei Templum construxit, atque ingenti gazâ locupletavit; cum sacra illa domus Deiparam Reginam adumbraverit, futurum esse quodammodo portendebatur, ut tantæ Reginæ thesauri Tyrii opibus ex Hispaniensibus Colonis advenis auferentur.

Hispani à Deipara cælestibus locupletati divitiis.

1536 Sed ut quod res est fateamur, non tam nostratibus divitiis locuples est summa nostra Regina, quam nos ipsi cælestibus ejus divitiis opulenti. Verè enim Athanasius Alexan-

Alexan-

Athanas. Alexand.

Orige. Helychius. Idiota.

Tullius.

Civitates opes suas in Regina cultum, & ornatum consueverunt.

Alexandrinus in Sermone de Deipara, quamcumque intellexit esse hanc Tyri filiam, illam non tam collatis Deiparæ muneribus, quam à Deipara acceptis, divitem pronuntiavit. Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis: diviti scilicet istiusmodi bonis gratiæ, & spiritualibus contemplationibus. Scilicet ipsa est Thefaurus cælestis, ut ait Origenes hom. 1. in Matth. Ipsa Thefaurus locupletans, sicut loquitur Helychius Ora. 2. de laud. Mariæ. Ipsa Thefauraria Domini, uti vocat Idiota in Prologo ad Contemplat. de B. Virgine. Igitur quantumvis opulenti Mariam cumules muneribus, longè quidem opulentiora ab ejus munificentia reteres, quam attuleris. Quid unius?

1537 Gloriosissimum etiam est Hispanicæ Tyri filie, universas suas opes in Deiparæ cultum, ornatum, Regiumque mundum contulisse. Solere, aiunt, barbaros Reges Perfarum, ac Syrorum, uxoris civitates attribuerent, hoc modo: Hæc civitas mulieri redimiculum præbet, hæc in collum, hæc in crines. Verba sunt Marci Tullii Actione 5. in Verrem. Suffragatur Herodotus in Euterpe, & Athenæus lib. 1. Deipnosophis. dum ajunt Anthylem nobilem Egypti urbem calcæamentis Reginæ fuisse destinatam. Xenophon lib. 1. navalis expeditionis, integram Syriæ Regionem Parysati di Reginæ datam in cingulum scribit. Muretus 15. variarum lectionum cap. 10. testatur, Luteciæ Parisiorum vestigal quoddam ex vino appellari vulgò cingulum Reginæ. Noster Turfellinus lib. 2. vitæ S. Francisci Xaverii cap. 2. pensionis meminit in India quadringentorum aureorum, quam Lusitanæ Reginæ crepidas vocitant. Hoc verò ab eisdem urbibus, atque Provinciis tanti fuisse habitum constat, ut inde beatas se esse ducerent, inde sibi nobile comparatum cognomen gloriarentur, auctore Platone in Alcibiade primo: ubi testatur à probis, ac fide dignis hominibus se accepisse, Perfarum quandam regionem esse, quam indigenæ uxoris Regiæ Zonam vocant; esse item aliam, que Calyptra vocetur, atque alios etiam locos ad ornatum Reginæ delectos, habereque singulos nomina ab unoquoque Reginæ mundo. Barbari populi barbaras Reginas tanti se fecisse gloriantur; & gloriosum non ducant Hispania universas opes in cælestis Reginæ cultum largissimè profundisse? Dicam signatius: Non jactet piæ, non gloriatur religiosè, quod præ cæteris Tyri filiabus una fuerit Davidico vaticinio in Deiparæ, vel recens etiam conceptæ, obsequium ita destinata, ut argentum aurumque Ibericum, Tartessiacum, Americum, Potofiacum, Oturinum, Carabajacum, ad Regium Mariæ mundum & munditiam profusissimè conferat? Macæ Tyri filia nobilissima hac tua religione, hac in Deiparam pietate: gloriare hoc munere, jacta hanc tuam laudem tam illustri Oraculo consignatam. Te unam, utpote sibi addictissimam prævisam, omnino suam futuram esse, eadem cælestis Regina Jacobo majori Hispanorum Patrono cum ad Iberum Cæsaraugustanum flumen Apostolum inviseret, Hispaniamque ipsi impensè commendaret, uti, præter nostros Historicos, auctor est eruditus Belga Ferreolus Locrius lib. 2. de Maria Augusta cap. 2. Tanta ergo Reginæ tantis devincta nominibus, universis eam excole Ty-

Hispania opes universas in Dei ara obsequium profundit.

P. Ildeph. de Flores in Eccles.

riis opibus, atque pulcherrimum ejus vultum, omnibus effusis muneribus, benignum deprecare, gratissimum profectò expertura.

1538 Hæc nobis occurrebant argumenta, quibus probabile admodum videbatur, celebre hoc vaticinium in laudem Hispaniensis Tyri filie à Davide fuisse conscriptam, nostramque Hispaniam Australem filie Tyri nomine fuisse præditam; neque tam illustri antonomasia alias Tyri Colonias potuisse designare. Certè quidem eximie notæ, quibus hanc Tyri filiam divinus Vates describit, ejusmodi sunt, ut & in Hispaniam apprimè cadant, & nulli alteri Tyriensi Coloniae cunctæ conveniant.

Sed ut tantam hanc gloriam toti etiam Hispaniæ communicem, est Bæticæ maximè propria, addo. Vatem ex antonomasia in synecdochem fortasse tranfuisse; & quemadmodum Expositores illi, qui nomine filie Tyri, in hoc Poëmata Ecclesiæ Christianam intelligunt, extento nimirum Tyri nomine per synecdochem ad alias Christianas Provincias simili opulentia florentes; ita Davidem synecdochicè in Mariano etiam sensu locutum, atque ex illustri Hispaniæ parte, Tyri nempe Colonia Bætica, vel Iberica, universam Regionem intellexisse. Hanc porro declarationem qui commentando tentaverit, superiora is argumenta, quæ pro Australi Hispania, Tyrius Colonis conferta, produximus, ita debet exornando, atque probando complere, ut universam ostendat, Hispaniam, gentis nobilitate, opulencia, religione erga Deiparam, reliquis Tyri Colonis præstituisse, atque adeò dignam esse, quam ex priori antonomasia, additæ etiam synecdoche, divinus Pfaltes fuerit vaticinatus.

SECTIO XXVI.

Celebri Abdias vaticinio accuratè illustratur eadem Hispania Ecclesiæ erga Christum, & Deiparam avita religio.

1539 Abdias vetustissimus Vates, atque grandævus illis Isaiæ, Osee, Amoso, Joeli, & Michææ tum ætate, tum Prophetico munere æqualis, duas nobilissimas Occiduas Provincias, Hispaniam & Galliam, uno & eodem illustravit, vaticinio, sed sanè perdifficili, ut est totus hic Propheta maximè involurus. Ad Galliam illa perinere censetur vers. 20. Et transmigratio exercitus hujus filiorum Israel, omnia loca Chananeorum usque ad Sareptam: quæ Galli Interpretes, pro innata in Patriam pietate, inolitique sacrarum literarum studio strenuè tuentur. Nos alteram ejusdem vaticinii partem, qua Christiana Hispanorum religio prædita est, paulò accuratius explorabimus, ex his, quæ ab eruditissimis viris scripta sunt, aliqua libantes, aliqua addentes, multa interim prætermittentes. Addit ergo superioribus continenter Abdias: Et transmigratio Jerusalem, que in Bosphoro est, possidebit Civitates Austri. Futurum ait, ut Apostoli, atque Apostolici Discipuli Jerosolymis profecti, atque in Hispaniam appulsi, Australes Hispaniæ urbes clarissimas Christiano Imperio subjicerent.

Abdias v. 20.

1540 Multi, itque doctissimi, neque soli L1 2 Hispani,